

INAUGURATIONEM SOLENNEM
CREANDORUM THEOLOGICAE DOCTORUM



VIRORUM PLURIMUM REVERENDORUM
ET PRAECLARISSIMORUM,

AUGUSTI ALBANI,
PHILOSOPHIAE DOCTORIS, SCHOLARUM LIVONIAE DIRECTORIS,
ECCLESIAE RIGENSIS CATHEDRALIS PASTORIS, ORD. EQUEST.
ST. VOLODIMIRI IV CLASSIS EQUITIS,

ET


JOANNIS LEBRECHTI GEORGII
RICHTERI,

PHILOSOPHIAE DOCTORIS, IMP. OMNIUM RUTHENORUM A CONS.
CONSISTORIAL., ECCLESIAE LETTICAE DOBLENENSIS
PASTORIS, SOCIETATIS BIBLICAE, IN CUROMIA
CONSTITUTIAE, DIRECTORIS,

PRAEFATUR

HERRMANNUS LEOPOLDUS
BOEHLENDORFF,

SACRAE CAES. MAJEST. A CONS. COLLEG., THEOLOGICAE
ET PHILOSOPHIAE DOCTOR, THEOLOGIAE IN ACADEMIA
CAESAREA DORPATENSI PROF. P. O., COLLEGII
SCHOLARCHARUM SOCIUS, SOC. LAT. JEN. SOD. HON.,
ORDINIS THEOLOGICI H. T. DECANUS.



DORPATI LIV.
LITTERIS MICHAELIS GERHARDI GRENZII,
TYPOGRAPHI ACADEMICI,
M D C C X V.

Cum ex decreto Ordinis Theologici, approbante et calculum Suum adjiciente Amplissimo Senatu Academico Dorpatensi, bini viri, eruditione ac meritis excellentissimi, Laurea Doctorali sint ornandi; s vulgari eaque perantiqua Academia- rum consuetudine recedere, qua Solennia hujusmodi Inauguralia publice indicuntur, addita commentatiuncula, solennitatis quasi nuncia et comite, religioni omnino mihi duxi. Quantulumcunque enim est, quod insigni huic actui, vel decoris vel gratiae, praefamine nostro, curtae supellectilis indice, accedere possit, id ipsum tamen nolim nihil valuisse, si minus ad confirmandam de Promoven- dis nostris jam conceptam haud temere omnium opinionem, saltem ad propriam,

benevolo animi affectu, declarandam et vindicandam. Est profecto, quod verecundiam dicentis minuat, qui honorum dispensandorum brabeuta constitutus, a partibus, quas tuetur, judicare debet non alienum, ut in dignissimos conferri, tam suo, quam reliquorum largitorum nomine, palam profiteatur.

Haesitanti vero mihi, quodnam differendi argumentum potissimum eligerem, rei annuntiandae gravitati captoque consilio accommodatum; in mentem venit, gratum et acceptum lectoribus fore, si me non tam e tenuibus meis copiis quidquam promere, quam potius ad Illorum, qui occasionem sermoni nostro praebent, divitias animum advertere senserint. Praemittendam igitur censeo narrationem, brevem illam ac modestam, de vita et studiis, quam, solennis observantiae haud ignari, necum communicaverunt amici, Albanus et Richterius, cara mihi, patriae orbique literario non ignota nomina. Liceat tum, commentarii loco, pauca adjungere, aequi bonique consulenda, cum sive ad rem facere, sive ex intimo pectore, penetralia sua aperire gestiienti, pro manare visa fuerint. Prioris narratio his verbis concepta est:

„*AUGUSTUS ALBANUS, filius JOANNIS LEBRECHT ALBANI, Ministri Sacrorum apud Beucham et Zweensfurthum prope Lipsiam, natus die IV Decembri St. N. A. S. MDCCLXV, usus est domi trium praeceptorum institutione, Pausli, Zipeli, et ipsius patris. Anno MDCCLXXIX Illustre Moldanum, quod Grimae floret, adiit, ac doctores habuit: Krebsium, Mückium, Hofmannum, Reichardum, Hochmuthum, et Richterum. Anno MDCCLXXXV Lipsiam se contulit, literis et theologis et humanioribus operam daturus. Erequentavit ibi scholas theologicas Mori, Schwartzii, Burscheri, Rosenmülleri, Hempelii, Dathii, Wolfii, et Scharfenbergi; in caeteris doctrinae partibus audivit Platnerum, Seidlitium, Ernestium, Beckium, Clodium, Wielandum, Pezoldum, Bortzium, Eckium, et Hilfscherum. Summos in Philosophia honores anno MDCCLXXXVII publice cepit. Anno MDCCLXXXIX in Livoniam vocatus, institutioni aliquot adolescentum nobilium privatae vacavit. Anno MDCCXCII demandatum est illi munus Rectoris scholae Cathedralis Rigensis; MDCCXCVIII Inspectoris quoque ejusdem scholae; MDCCXCIX additum etiam munus Ministri Sacrorum in Ecclesia Cathedrali Civitatis Rigensis. Anno MDCCCIV constitutus est Director Scholarum Livonicarum, et Censor Vicarius scripturarum Rigae typis imprimendarum, neque tamen munere Ecclesiastico fungi desiit. Anno MDCCCV ab Imperatore Totius Rosiae Augustissimo, Alexandro I Insignibus Ordinis St. Volodimiri Cl. IVtae ornatus est.*

Uxorem duxit anno MDCCXCIII Agnesam Carolinam, Rauerti filiam, ex qua suscepit sex filios, quorum tertius natus, et quatuor filias, quarum natus prima obiit.

Scripta theologica edita ab eo sunt:

- 1) *Conciones sacrae novem, privatim habitae, 1791.*
- 2) *Series concionum sacrarum. Tom. II. 1802 et 1804.*
- 3) *Conciones sacrae aliquot, et orationes varii generis, potissimum funebres, partim separate excusae, partim aliorum editorum collectionibus insertae, inde ab anno 1799 — 1815.*

His accedet: Dissertatio de via et ratione consolandi christiana, typis propediem proditura.

Scripta paedagogica, scholastica, philologica etc:

- 1) *Programmatum scholasticorum series, cum munere Rectoris Scholae Cathedralis Rigenfis fungeretur.*
- 2) *De poenis et praemiis paedagogicis. 1797.*
- 3) *Alexander et Trajanus. 1801.*
- 4) *Oratio saecularis, habita in Gymnasio Prov. Rigenfi die V Julii anni 1810. Cum notis.*
- 5) *Catalogus vocum Germanarum, Latinarum et Graecarum, quoad etyma et sensum cognatarum, Tomus I. (Sex primas centurias continens.)*
- 6) *Ephemerides Scholasticae Livonae (Schulblätter) pro anno 1813. 14. 15.*
- 7) *Commentationes quaedam paedagogicae. Inter has memoratu forsitan non erit indigna: Com. de experimentis paedagogicis. 1791.*
- 8) *De Orthographia vocis: seculum. 1811.*
- 9) *Oraculum. (ad victorias Ruthenorum celebrandas.) 1812.*
- 10) *Belli adversus Napoleonem postremi memoria, (Latine.) 1814.*

Omnia ejus scripta Rigae impressa sunt.

* * *

Alterius sic se habet;

„**JOANNES LEBRECHTUS GEORGIUS RICHTER, inde ab anno MDCCXCII Philosophiae**

Doctor, die sexto Aprilis An. MDCCLXIII Deſſaviae natus est. Pater ejus fabricis ſericariis, quae magna ex parte ipſo auctore ac duce florebant, praefuit. Anno MDCCLXXXVIII Chriſtinam Richter in matrimonium duxit, ex quo duo tantum liberi minimi natu ſuperſtites ſunt. Uſque ad annum aetatis decimum quintum in domo patris, eximiae probitatis viri, manſit; quo mortuo, a Niemeyero, Halenſis Univerſitatis, Profeſſore, et nunc temporis Cancellario, Halam deductus omnique cura paterna educatus eſt. Cui quidem viro, tam eruditione, quam pietate, inſigni, tot et tanta beneficia debet, ut illius laudes ſemper gratiſſimo animo praedicaverit. Praeter ea, quae Niemeyeri humanitati et inſtitutioni privatae debet, orphanotrophei Halenſis, grato inprimis animo recordatur; quippe cum haud pauci tunc temporis hujus ſcholae praeceptores, illius viri cauſa, juvenis ingenium atque animum ſingulari cura excolerent. Anno aetatis decimo octavo ejuſdem urbis Univerſitati nomen dedit, inter cujus doctores publicos de ſe meritiffimos, praeter Niemeyerum, Noeſſeltus et Eberhardius, propter ſingularia in eum collata beneficia paternumque amorem, gratiſſima ejus nullaſque die delenda, memoria vivunt. Per quatuor integros annos, cum, omni ſtudio, philoſophiae, philologiae ac theologiae incumberet, praeceptoris ſimul vice in orphanotrophei ac paedagogii regii ſcholis functus eſt.

Anno MDCCLXXXVI Curoniam pervenit, ibique per decem annos multos juvenes, quorum nonnulli non ſine magna aeftimatione muneribus publicis funguntur, erudivit atque educavit. Anno MDCCLXXXVI ad munus Paſtoris Eccleſiae Leſtenſis vocatus eſt. Quo in loco, cum ab officiis publicis nimis moleſtis vacaret, juvenes quaque per omne id tempus erudivit. Anno MDCCLXXXIII latior ei campus apertus eſt, munere Paſtoris Lettici Eccleſiae Doblenſis in eum collato.

Quo quidem in officio, id sibi maxime proposuit et per Dei gratiam affectus est, ut lectio, eheu! hucusque nimis neglecta, in dies augetur, ita, ut eyes hujus coetus partes legere, nec non haud pauci scribere sciant. Tantus coetus licet jam satis curae et laboris exhibeat, ad novum tamen laborem Anno MDCCCXIII vocatus est, in societatis biblicae, quae Mitaviae viget, directorium lectus. Satis superque negotiorum hoc officium ei creavit, quippe cum duo itinera Livoniam, atque plura Mitaviam, suscipienda essent. Societatibus biblicis Livoniae atque Curoniae, a Summo Directorio, quod est Petropoli, injunctum erat, vulgatam Novi Testamenti versionem letticam perlustrare, examinare, et, ubi quae tum circa sensum quam dictionem errata essent, emendare, ita tamen, ne nimis a Lutheri versione declinaretur. Huic labori pergravi ac perdifficili, per integras novem hebdomades, una cum collegis, ita ut par erat, diligentissimam operam dedit. Anno MDCCCXIV Imperialis Consistorii Consiliarii dignitate donatus est.

Praeter leviora quaedam ejus scripta, elaboratiunculas et commentationes immaturiore adhuc aetate conscriptas, aliorumque scriptis, quae in Germania in lucem prodierunt, insertas, extant:

- 1) *Erster Unterricht in der Glaubens- und Sittenlehre* 2 B. 1794.
- 2) *Geschichte von China.* 10 B. 1806.
Ubi comparantur morum, doctrinarum et religionum caerimoniarum similitudines, apud remotissimos populos, Sinenses et Graecos, obviae.
- 3) *Reflexionen über eine Kirchen-Ordnung.* 5 B. 1807.
- 4) *Geschichte der außerschristlichen Religionen* 5. B. 1807.

Hoc in opere consensus opinionum et doctrinarum, religionem spectantium, declaratur. Opus non-

dum omnino typis expressum, neque absolutum est.

5) *Ueber die Bathylien, oder die heiligen Steine.* 3 B. 1807.

6) *Ueber die Bibel und Bibel-Gesellschaften.* 1 B. 1813.

7) *Ursaulschana us wisseem Kursennes laudim.* 1 B. 1813.

8) *Ueber Sonntagsfeyer.* 1 B. 1814.

9) *Ueber die frühe religiöse Erziehung.* 2 B. 1815.

Multae ejus orationes sacrae, commentationes morales, ethnographicae ect. aliorum eruditorum commentariis sigillatim insertae sunt.

Anno MDCCCI Julianam Louisam Wilhelminam, consiliarii aulici D. Lindneri natu minimam filiam, in matrimonium duxit, quae eum quinque filiis et unica filia beavit, quam praematura morte nuper ei eripuit.

Honori atque **V**irtuti **R**omani veteris memoriae, quos multa sapienter sanxisse constat, templa gemella facie junctim locaverant, testibus Livio, Cicerone, Plutarcho, Valerio Maximo, confirmantibus inscriptionibus variis et numis. Neque fugit ingeniosum commentum Augustinum Patrem, qui (de Civ. Dei, lib. v, cap. 12.): „gloriam, inquit, honorem, imperium, bonus et ignavus aequae sibi exoptant, sed ille vera via nititur, denique subjicit sequentia: „via virtus est: hoc insitum habuisse Romanos, etiam **Deorum**

apud illos aedes indicant, quas conjunctissimas instituerunt Virtutis et Honoris. “ Publica haec religio in vitam quotidianam sermonemque vulgarem deinceps transiit, atque dulce illud geniorum confortium, a Poëtis celebratum, ad hominum tandem vivendi rationem et mores translatum est.

Nil certe me quoque impedit, quo minus auspicato pulchra ista rei verissimae adumbratione et imaginè hoc loco utar, utriusque Viri Venerandi, ad quos haec nostra pertinent, vitae stadio expressa et comprobata, Etenim Ambo ita semper famae suae prospiciendum existimarunt, ut ab omni ostentationis ausu abhorrentes, contemta vana seu ficta gloriae specie, eam tantummodo appetent, quae labore, industria, virtute acquisita, suam ipsius materiam aleret adeoque efficeret, ut multa eorum pars Libitinam olim sit vitatura. Iter, quod ingressi, constanter tenuere, non ubivis per convallium et viretorum amoena, sed saepe, ut fit, per ardua et aspera eos duxit; at non poenitebit Generosos hucusque confecti, larga optimarum frugum messe conspicui, nec honestis perseverantiae praemiis carentis. In difficili alios docendi atque erudiendi negotio mascule ver-

santes, conscii sibi sunt, non pertinere se ad eorum hominum numerum, qui, ut Ennii verbis loquar; (apud Cic. de Div. I, 58.) sibi semitam non sapiunt; alteri monstrant viam. Id potius semper eos egisse comperimus, ut; si qua recta et laudabilia animo concepissent, ea non voce solum, sed factis et exemplo suo commendarent, aliorum, non suam utilitatem spectando. Obtrectionem et malevolentiam non timuerunt; praemia solertiae nunquam anxie quaesiverunt. Quocirca omnimodo in Ambrosio cadere existimem egregium illud Poetae effatum, eanentis:

„Virtutem invitam blande vestigat et ultro
Ambit Honos.“

Quod quidem Albano nostro et alias contigisse et nunc contingere, impense laetamur. Vacavit Is per satis amplum temporis spatium muneribus scholasticis tanta omnino dexteritate ac industria, ut ingenio Suo met et indole ad hoc imprimis studiorum genus propenso animo inclinare, huic totus gnaviter incumbere, in eoque exercendo partam jam dudum Sibi laudem conservare, quid? quod novorum meritorum accessione mirifice subinde adaugere omnibus videretur. Literis, quas vocant, humanioribus, in schola celebri patriae

celeberrimaque eius Musarum sede, ubi plurimum operae his navari solet, Ipse non leviter tinctus, sed plenissime earum amore imbutus, (quod testantur etiam carmina latina, eleganter ab Eo. contexta,) juventutem Suae curae commissam eodem inflammare conatus est. Idem gravitatem cum docendo, tum mores discipulorum regundo et inspiciendo, humanitate adeo temperavit, ut ex horum numerosissimo coetu, neminem equidem noverim, qui ad optimi aut praeceptoris, aut inspectoris et rectoris, memoriam gratissime colendam, et officii et pietatis vinculis se non putaverit obstrictum. Cum gravissimam, Directoris et Praefecti rerum scholasticarum totius Livoniae, provinciam, anno MDCCCIV susciperet, communi Collegii, quod Dorpati constitutum est, Scholarum suffragio, annuentibus Patribus Academiae Conscriptis, in Eum collatam, tot tantisque, ob conflictum veterum institutionum, ad scholas spectantium, cum nova earum conditione, difficultatibus pressus et adflictus fuit, ut magna opus esset prudentia in placandis atque conciliandis hominum, antiquitatis plerumque laudatorum, animis. Quas tamen depelli posse molestias non desperans, pedem prolatum, spinis du-

metisque saepius implicatum, suis forte commodis consulturus, non retraxit nec, quasi medio stans in circo, ad carceres a calce petita revocari passus est, sed fortiter, quod coeperat, ad finem perduxit. Hanc propter causam, Superiorum sententia et petitione Clementissimo Imperatori submissee proposita, Ordine Equestri St. Volodimiri IVtae Classis insignitus est.

Postem jam memorare, quam variis Illis modis, in munere Directoris obeundo, voluntatem, studium, solertiam demonstraverit. Paucis sufficiant! Quam haud exiguam curarum et negotiorum molem solus sustineat, nihilo minus sua sponte horas aliquot hebdomadales institutioni juvenum, in Gymnasio Provinciali Rigensi, cujus ducem et moderatorem praecipue agit, literis incumbentium, impendere constituit. Nov. Foederis librorum lectione cursoria futuros imprimis Theologiae cultores exercet atque curat, ut latine eos sciant reddere, quod quidem, ut ad attentius audiendas praelectiones exegeticas rite praeparentur, haud parvi momenti est. Fructus, quem inde percipiebant, ipse testis fui, cum anno MDCCCX ad invisendas Livoniae scholas delegatus essem. Neque praetereundam arbitror

eam industriam, qua invasionis hostilis tempore calamitose vix elapso, scholas suburbanas Rigenses, incendio eheu! consumtas, restituere omni vi et ratione annisus est. Satis feliciter res cessit, atque etiamnum eum in finem, editore Eo magnamque partem auctore, prodeunt *Ephemerides Scholasticae Livonae*, quibus diuturnitatem ardentissimis votis expeto.

Sed quorsum haec omnia? dicet forsitan aliquis, loquacitatem meam aegre ferens, cum ad *Theologum* encomio decorandum minus facere videatur. Clamabit alius, regendos esse professionum terminos, suisque quamque limitibus coërcendam, ne quae diversa sunt et intervallis separata, invicem confundantur. Hos rogatos velim, ut memores sint arctissimae illius, quae inter studia humaniora, paedagogica, scholastica, et Theologiae literisque sanctioribus dicata, intercedit, necessitudinis copulae. Utinam omnes, qui his se adcingunt, illorum ad adyta penetrarent! Utinam exemplar sibi imitandum proponerent clarissimos quosque Theologos, qui, quo diligentius ab ineunte aetate his exquisitis mentium epulis et deliciis passi sunt, eo majori et rerum et verborum copia instructi,

sublimiora tractarunt, nec incomptae, squalentis et, ut ita dixerim, in pexae orationis rei, auditorum omnium vel lectorum puncta tulerent! Quanto quis in instituta juventute est expertior, tanto magis ad tradenda animisque probe inculcanda religionis dogmata et praecepta reperietur idoneus. Multos videmus in pulvere, ut ajunt, scholastico atque in Orbiliorum umbraculis consenuisse, qui simul scientiae theologiae, summo aliorum applausu, operam dederunt ejusque summis honoribus digni sunt habiti, paucos vero, qui, deficiente continuo docendi usu et exercitio, munera ecclesiastica cum insigni quadam republicae utilitate administrarunt.

Argumenti loco sit nobis **Albanus**. Hic inde ab anno **MDCXCIX** provinciam scholasticam cum Ecclesiae Ministri partibus pari, adeoque felici successu conjunxit, neque minorem famam hinc Sibi consecutus est. Confluit ad Eum audiendum concio, frequentat scholas Ejus catecheticas juvenum turbae, efflagitant ab Eo Ecclesiae Cathedrali adscripti, vel inter privatos parietes, secundis rebus suis laeta auspicia, adversis solatia. Quid multa? Talem uno ore omnes Eum profiteantur, qualis esse, quam videri mavult. **Meditatio**

ni, scriptioni, laborum assiduitati adfuetus, inter tot tantaque negotia, mentem alacrem invictumque animi vigorem servavit, quem ad ultimum spiritus halitum proroget Ei, reipublicae commodis prospiciens, divinum numen! Si qua in concionibus sacris, ab Eo in lucem editis, forte sint desideranda; non desiderabitur certe acutus thematum haud vulgarium delectus, materiarum apta dispositio, stultitiae qualiscunque vitiorumque acris refutatio, praeceptorum ad communem hominum usum applicatio, popularitatis et perspicuitatis denique laus. In orationibus paraeneticis, crebro prodeuntibus, singulorum necessitati, casibus, tempori et loco prudenter adaptandis, tirocinia jam dudum deposuit, quin etiam quam maxime videtur versatus. Plures, quas equidem legi, valde mihi placuerunt. Scientiam Ejus pastorem commendabit quoque Dissertatio inauguralis: de via et ratione consolandi christiana, Ordini nostro exhibita, typis in posterum excudenda atque publico subijcienda iudicio.

Ceterum reliqua Ejus scripta, cum in omnium manibus terantur, atque totidem sint uberrimi ingenii documenta, consulo quidem, licet invitus, praetereo.

Accipe igitur, Vir Praeflantissime, quod Tibi offert Patria Literarum Universitas, quam munere et officiis Tibi habes devinctissimam, accipe, quod libenter meritis Tuis in ecclesiam, in rem scholasticam et literariam Livoniae concedit Facultas Theologica, decus, bene a Te paratum. Gratulor Tibi honorem, virtutis comitem.

Insigni pariter et merita laude ac celebritate in Curonia floret Richter, quem alterum Pileo Doctorali Theologico exornandum, votis nostris candidisque omnibus prosequimur. Processit e schola publica et privatissima Niemeyeri imprimis, celeberrimi nunc temporis Academiae Halensis Cancellarii, cui quam plurimum Se debere, Ipse gratus fatetur. Sed debent omnes, quibus licuit ejus uti ductu et moderamine; debent omnes, qui vel praelectionibus ejus auditores interfuisse laeti meminerunt, vel scripta perlustrarunt egregia, copiosa, perpolita; debent denique omnes, qui in scientiis, propius ad administrationem muneris ecclesiastici spectantibus, pastoralibus scilicet, sive docendo sive discendo, operam ac industriam collocarunt. Quotusquisque enim est,

qui nesciat, quanta has cura coiverit, ingenii sui lumine collustraverit, scitis observationibus variisque augmentis ditavit? Ecquis eorum, qui Theologiae liberaliori nomen dederint, optimaeque methodi, disciplinas qualescunque rudioribus tradendi, sint studiosi, principiis paedagogicis, ab eo ad sanae rationis normam et amussim exactis, carere facile poterit? Adant alios duces, novissimarum forsan sectarum philosophicarum admiratores, qui rerum tumore et sententiarum vanissimo strepitu delectari videntur. Hunc sequantur, qui materiarum gravissimarum pondera, sobrio et modico dicendi genere, explicata et dilucidata praeferrunt. Tali tantoque viro beneficiorum vinculis se obstrictum sentire, inter maxima beneficia numeraverim.

Propriis ingenii dotibus eminens, atque a prima adolescentia, hominum doctorum caterva stipatus Noster, multum profecit in literis, quarum perpetuum habitum quendam et consuetudinem contraxit. Cum in omnibus fere minus praecepta valeant, quam experimenta, haud parum Ei profuit, quod uno eodemque propemodum tempore et Ipse disciplinarum ingenuarum studio intentus, et alios hisce initiandi cura, ex ephelis vix excedens,

occupatus fuerit. Inde jam colligas lites, artis paedagogicae adprime gnarum Richterrum, quas in promptu habuit ejusdem regulas, prudenter vel instituendi juvenes negotio, vel muneri postea ecclesiastico adcommodasse. Venerantur Eum discipuli, quos plures Sibi traditos, bene excultos et subactos, gratis parentibus reddidit; veneratur Eum coetus, cui praeest, Letticus, inter maximos et frequentissimos Cironiae numerandus, patris instar ac amici peritissimi, cujus e consilio et auctoritate libenter pendet.

At, quod rarioris exempli est, quum ruri degat, fatigatus insuper et vexatus laborum itinerumque quotidianis saepe molestiis, peregrinantur tamen cum Eo et rusticantur Musae, neque Eum, quem adolescentem gremio suo fovere, quem virum constanter comitatae sunt, jam senescentem, arborum et nemorum Nymphis relinqui patiuntur. Quid mirum? Gaudent ejus familiaritate et contubernio, qui, incredibili earum desiderio flagrans, nunquam non sacrificia qualiacunque ac libamina eis obtulerit.

Arctioribus programmatis nostri limitibus, quo minus de singulis, quae in vulgus, edidit, scriptis, magnam partem nobis quidem

cognitis et cum voluptate perlectis, accuratius disputemus, prohibemur. Pleraque, si juveniles quosdam lusus excipias, ferii sunt et gravis argumenti, atque adumbrandis humanae vitae rationibus; gentium diversarum, remotissimarum quoque, opinionibus, moribus et institutis. praecipue vero religionibus, investigandis, dijudicandis, comparandis; antiquitatibus nonnullis, huc spectantibus, illustrandis (Conf. comment. eruditam de bathylyis, seu lapidibus sacris); principiis, quibus niti debet puerilis educatio, ut religionis sensum mature excitet, explorandis; liturgiae ac disciplinae ecclesiasticae placitis examinandis et regionis cujusvis conditionibus adaptandis; societatibus biblicis, in Russia jam florentibus, atque omnino libris Sacri Codicis uniuscujusque lectioni commendandis; institutioni denique catecheticae inserviunt: quae omnia diligenti tractatione perpendere, Theologi quam maxime interest. Epularum lautiorum bellariorumque instar, quae modicis portionibus adponuntur. symbolas has Suas Noster nec diffusorum, nec voluminosorum operum, ambitu includere, sed dissertationum plerumque et commentationum modesta forma, adferre maluit. Verum inest his omnibus magna ad animum pascendum et recreandum vis, inest acuminis haud vulgaris frequens vestigium, inest denique purus quidam in affectatae

simplicitate nitor. Majoris, quod molitur, operis, quo scilicet religionum doctrinas diversissimorum populorum de novo ponderare, comparare et ad communem quendam consensum, naturae humanae insitum, ab Herodoto jam memoratum, revocare sibi habet propositum, primitias ac specimen, Commentariis Petropolitianis, Ruthenicae nomine notis, per singulos menses olim editis, nunc vero cessantibus, inferenda curavit. (Orbi annuo 1807 et 8.)

Comendat Se Richter us omnibus sobrietate illa et circumspectione, qua de rebus divinis et ultra humana assurgentibus, disputare solet. Pellucere ubique credas pietatis sensum, quo a teneris imbutum Eum fuisse, ex Ipsius narratione novimus. Multum abhorret ab eorum temeritate, qui Deum fictitium, i deis suis, ut ajunt, sibi construunt mundoque admiscunt, qui puerilibus sententiolis lascivientes, aut casuris, si vel leviter excutiantur, flosculis splendentes, sacra profanant, suisque ipsi se compungunt acuminibus; at Philosophos se videri cupiant, (interdum et Theologos,) et quidem ejusmodi Philosophos, ut, (suppeditet mihi verba Cicero!) tanquam Atlante coelum, ita Philosophiam supercilio suo niti putent. Sed vergunt jam ad occasum tanta sapientiae luminaria.

Hac ipsa animi sanctitate ductus, oppugnavit vel nuperrime (in Ephemerid. Schol. Liv.

1815.) sententiam illam frivolam, quae a Russo jam prolata, multos nostra aetate adstipulatores et defensores denuo nacta est, qua nempe, teneram juventutem religionis praeceptorum non esse capacem, temere statuitur. Inter hos video Daubium, Heidelbergensem, qui in libro suo, artem catecheticae explanante, (Francof. ad M. 1801.) praematura institutione religiosa omnes ipsius religionis rationes perverti et confundi, diserte contendit, firmissimisque argumentis demonstravisse sibi visus est; cujus quidem in ratiocinatione haud desideratur sagacitas, sed veritas. Quaestionem totam bene constituit et illustravit Noster. Dedit et Hic Ordini nostro lucubrationum suarum egregium specimen, Dissertatione nobiscum communicata: de Fetisismo veterum Aegyptiorum; qua comparatio instituitur veteris Aegyptiorum superstitionis cum hodiernorum Africae incolarum cultu, Fetissis dicato, quae itidem ab Eo in lucem edetur.

Ne vero Lectores diutius morer, ad Te jam me convertito, Vir Amplissime, Doctissime, quocum, inde a prima adolescentia, vinculo propiore ligor, qui et sermone Tuo et exemplo in tenero excitasti literarum humaniorum, inprimisque Graecarum, amorem, cui plurimum omnino me debere, confiteor.

Gratulor et Tibi, toto expectore, acquisitum eruditione, labore et solertia, ornamentum. Si qua sunt, quae nunc Te affligant, mala domestica, si quis est acris dolor, qui cor Tuum, paterni desiderii plenum, tangat et afficiat, Deum O. M. precor, ut hic ipse, quo abundas, pietatis sensus, Te erigat, consoletur, recreet.

Macti virtute estote Ambo, Viri Praestantissimi, amicitia, iisdem fere studiis, colato in Vos eodem tempore doctrinae Theologicae summo decore, Coniunctissimi, atque eam, quam ingressi estis, laudis et honoris semitam, strenue, uti facitis, persequimini!
